

M. h. 286^u

nicht verheiratet
nicht PK

1) Ringsius, Joh.

nebst 21 - 40)

(No. 31 enthält
allein 20 Disputationen)

2 mit Widmungen
an Ludolph!

AXIOMATUM

Imprimis LOGICORUM ET METAPHY-
SICORUM

Ex

M. l. 286^a

JUL. CÆSARIS
SCALIGERI EXER-
CITATIONIBUS EXOTE-
ricis,

Depromptorum.

Disputatio III.

Quam

Θεῶν συνεργῶν/Ω.

SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi & Excellentissimi,

DN. M. THOMÆ SAGITTARII

Stendal. P. L. Cæs. Log. & Metaphys. Profess.
Publici

Publicè defendet

JOACHIMUS BILLERBECIUS,
STENDALIENSIS MARCHICUS.

Ad diem 22. Januarii.

In Auditorio Majori, horis consuetis.

7 E N A,

TYPIS RAUCHMAULIANIS.

ANNO

M. DC. XIV.

41



VIRIS

*Amplissimis
Consultissimis
Prudentissimis,*

D N N. CONSULIBUS, CAMERARIIS
AC CÆTERIS INCLUTÆ REIP. STEN-
daliensis Senatoribus meritissimis & Spectatis-
simis.

*Dnn. Fautoribus, Promotoribus ac Patro-
nis suis devotâ animi reverentia æternùm suspiciendis
& colendis.*




Uando Sol radiis sacri peregit
Signa ter bona flammeis Olympi:
Strenarum video frequente pompa
pompas ire, redire: cur & ipse
nulli sacrificabo strenulas? quin
vobis sacrifico Dii colendi
patroni patriæ, mei patroni!
at vobis quid ego feram? metalli
num defossa talenta? Sed mihi vis
non est. Offero disputationem
depromptam Sophiæ penu sat amplo
æqua ferte manu, mihi favete
custodes patriæ pii vigete
Reges Justiciæ boni valete
vestrum dicite me Dii colendi
Patroni patriæ, mei Patroni!

V. A. & P.

humiliter colens

*Joachimus B.llerbecius Stendaliensis
Respondens.*



THESIS I.



Essatio ingenio studioso ignavia est

inquit Scaliger Exerc. 344. Sect. 2.

2. *Non ergo & hic quidem quiescamus.*

3. *Ne cessatione ignaviam quandam ostendere videamur.*

4. *AXIOMATA novâ quasi Alchymia ex Scaligero extrahere tentavimus nuper, Quam jam continuabimus.*

5. *AXIOMA sequitur XLI. DEUS omnium bonorum nostrorum causa est. Exerc. 3.*

6. *Quî verò? Et efficiendo & gubernando.*

7. *Efficiendo: Cuncta primus effecit.*

8. *Et quidem bona bene*

9. *Bonus enim ipse.*

10. *E. nec nisi bona producit aut efficit. Scal. Exerc. 249. Sect. 3.*

11. *Nec mirum. Ipse infinitus est.*

12. *Et cetera finita.*

13. *At finitum nullum à seipso Scal. Exerc. 6. Sect. 3.*

14. *E. ab alio.*

15. *E. ab illo infinito, quod DEUS est. Scal. d. Exerc. Sect. 3.*

16. *Gubernando: Cuncta jam per se existentia gubernat & moderatur.*

17. *Nec enim hoc ab opificio, ceu sua à nave aut domo architectus, discedit.*

18. *Quî enim posset? Cuncta à Deo ut sint dependent.*

19. *Et simul ut imposterum esse possint.*

20. *Hac enim gubernatione conservantur.*

21. *At conservatio est essendi continuatio Scaliger. Exerc. 31.*

22. *Imò etiam existendi. Scalig. Exerc. 250.*

23. *Nec id negaverint S. literæ, quas jam non tango.*

A 2

24. Nec

24. *Nec qui compos mentis est, Scal. d. Exerc. 3.*
25. *Hec verò primam illam velut originem præsупponunt.*
26. AXIOMA XLII. *Cujus nutu gubernantur omnia, is & omnium est effector, Scal. Exerc. 3.*
27. *Varia hîc forsân oppones ἀντίπρῆξα, nec mirum.*
28. *Sed materiam vide substratam. De Deo est sermo.*
29. *Hujus nutu gubernantur omnia.*
30. *Quidnî ergò & horum omnium sit effector?*
31. *Omnia dico, gubernantur.*
32. *Ergò οὐδὲν πρὸς ἐπὶ & quod opponetur.*
33. *Cujus enim tandem nutu gubernantur omnia? Nullius certè, nisi DEI.*
34. *E. hoc nihil ad homines.*
35. *Gubernatorem enim hoc respicit, gubernatos despicit.*
36. *En rationem: Si (Deus) non fecit (mundum, & quæ in eo) niq̄ ab alio factum acceperit, necessum est, Scal. d. Ex. 3.*
37. *Et quidem vel mutuo.*
38. *Vel commodato.*
39. *Vel vi.*
40. *Ve emptione.*
41. *Vel deposito.*
42. *Vel locato.*
43. *Vel legitima successione.*
44. *Vel in vacuum venerit possessionem.*
45. *Vel jussu, tanquam minister, aut servus, aut mercenarius à domino.*
46. *Vel aliis, quicunq̄ tandem forsân excogitari possint, modis.*
47. *At omnia hæc mera nugæ, eaq̄ impia, Scal. d. Ex. 3.*
48. *Ponunt enim aliquid Deo prius. Absurdum.*
49. *E. ab alio factum (mundum unà cum cæteris) non accepit.*
50. *E. ipse fecit, quem suo nutu jam gubernat.*
51. AXIOMA XLIII. *Cum sapientibus sapienter sentiendum est. Scal. d. Exerc. 3.*
52. *Testimonii vim hoc declarat, & testium.*
53. *Hi partim sapientes, partim insipientes.*
54. *Quinam horum eligendi docet hoc nostrum. Cum sapientibus sentiendum est.*

55. *Nec*

55. Nec malè : Hi enim veritatem amplectuntur & quam
sciunt, aliis communicant.

56. Boni enim illi.

57. Nec enim qui verè sapiens, malus Scal. Exerc. 274.

58. At boni ad sua communicanda naturà paratissimi.

59. Imò sapientum finis sapientiæ communicatio est. Scalig. Ex-
erc. 308.

60. Ergò & hæc illorum perfectio.

61. Omnis enim finis ejus, cujus est finis, perfectio est. Scal. passim.

62. At veritas animæ est nostratis Philosophiæ, Scal. d. Exerc. 3.

63. Sine veritate enim non est Philosophia.

64. Quia hæc sapientiæ studium.

65. At non est sapientia sine veritate.

66. Et Christiana professionis fundamentum Scal. d. Exerc. 3.

67. Hæc enim ab auctore, Deo.

68. Unde ἡ ἱερότιμος, vocatur scriptura.

69. At Deus primum illud, & quidem ipsissimum verum, à quo
cætera omnia.

70. E. cum hisce sapientibus sentiendum est.

71. Et quidem sapienter.

72. Tum : Quia sapientia ab hisce communicata, velut novo quo-
dam lumine mentem illustrat nostram, & velut colorat, ut in simili lo-
quitur Scaliger Exerc. 359. Sect. 11.

73. At præ hoc tenebras admittere velle stultissimum.

74. Tum : Quia etiam nostro aliquid relinquitur loci iudicio.

75. Hoc sapientium dicta sapienter examinet, examinata, si re-
cta approbet.

76. Sine tamen personæ respectu πρώτως.

77. Nam si secus non solum amicorum opiniones, verum etiam
propriam sententiam delere interest Philosophi, ad veritatis præsidium at-
que conservationem, quod ait ex Aristot. 1. Eth. Nic. c. 6. Scalig. Exerc.
6. Sect. 4.

78. Insipientium ergò seu desipientium nulla hæc habetur ratio.

79. Qui enim desipiunt, decipiunt.

80. AXIOMA XLIV. Disjunctio incommoda in sanis re-
linquenda est. Scal. d. Exerc. 3.

81. Duplex est disjunctio. Una: quæ cum natura. Altera: quæ con-
tra naturam.

82. *Fam: Disjunctio T u A inquit ad Cardanum suum Scaliger, insanis relinquenda est.*
83. *Quid ita? Quia id quod naturâ conjungendum, disjungit.*
84. *Conjungenda hæc: Deus omnium bonorum nostrorum causa est, cuncta primus efficiendo, & effecta gubernando.*
85. *Disjungit Cardanus: Deus omnium bonorum nostrorum causa est, sive ut autor cuncta primus efficiat, sive iam per se existentia gubernet ac moderetur.*
86. *Malè: Quia hîc Creatio & gubernatio amicè per naturam conspirant.*
87. *E. nec in oratione disjungenda erant.*
88. *Ars enim conjungere debet in oratione, qua natura conjunxit in corpore subjecto, Scaliger lib. 7. de caus. lat. ling. c. 142. pag. 369.*
89. *Non ergò omnis disjunctio hîc rejicitur.*
90. *Sed demum illa, qua est contra naturam, ac proinde incommoda.*
91. *Disjunctio ergò, incommoda (quod ex mente Scaligeri elicies) insanis relinquenda est.*
92. *Vel potius insanis, ne ulterius insaniant, explicanda est & menti planè subtrahenda.*
93. *Dato enim uno inconvenienti & alia continuo subsequuntur.*
94. **AXIOMA XLV.** *Neq; paucitas neque multitudo materiæ, raritatem facit aut densitatem: Et contra: Nec raritas, nec densitas, vel paucitatem materiæ facit vel multitudinem. Scalig. Exerc. 4.*
95. *Conjuncta hæc naturâ.*
96. *Conjunctim ergò & hîc explicemus.*
97. *Queritur: An paucitas materia, faciat (corporis) raritatem? Negatur.*
98. *Queritur: An multitudo materia faciat (corporis) densitatem? Negatur.*
99. *Queritur: An raritas (corporis) faciat materia paucitatem? Negatur.*
100. *Queritur: An densitas (corporis) faciat materia multitudinem? Negatur.*
101. *Ratio: Corpus idem nulla facta materia accessione, decessione-ve rarum fit aut densum.*

102. *Fit enim rarum per rarefactionem.*
103. *Densum per densationem.*
104. *At densatio & rarefactio est in genere motus secundum locum.*
105. *Fit enim ex partium dispositione.*
106. *Et sequitur vim vel caloris vel frigoris.*
107. *E. ratio densi & rari non est in multitudine aut paucitate materiae.*
108. *E. aliunde.*
109. *A quo verò? Nempe ex motu materia tali & tali.*
110. *Vel si mavis est à materia, sed taliter & taliter mota. Sed hac ad Physicam mittendus subsellia.*
111. *XLVI. Materia per se finita est, etiam si à nulla forma extrinsecus finiatur. Scal. Exerc. 5. Sect. 1.*
112. *Ne dubites: Materia est ab alio.*
113. *E. & finita.*
114. *Nullum enim quod ab alio est, infinitum est.*
115. *Et quidem finita suâ essentiâ.*
116. *Nec enim hac caret.*
117. *Est enim id, quod est per essentiam sibi propriam, Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
118. *Extra formam etiam.*
119. *E. etiam si à nulla forma extrinsecus finiatur, tamen per se finita est illa.*
120. *Et tamen etiam à forma finitur.*
121. *Hac enim materia illam amplitudinem & quæ videri poterat, infinitatem certis quasi finibus includit.*
122. *Et sic ergò, suo tamen modo, materiam finit forma.*
123. *Imò respice cælum & mundum totum, finitam hanc apprehendes.*
124. *Cælum vel habet hanc (primam) unam & eandem cum nostratibus, vel non habet.*
125. *Si non habet: Cælo finietur materia.*
126. *E. & finita erit illa.*
127. *Si verò habet: Finietur differentia corruptionis.*
128. *E. & sic, suo tamen modo, finita erit iterum illa.*
129. *Mundus totum est.*

130. *Materia pars eius.*
131. *At mundus ipse terminis finitur Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
132. *E. & partes eius omnes.*
133. *E. & materia.*
134. AXIOMA XLVII. *Quicquid est, per essentiam sibi propriam est id, quod est. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
135. *De creatis, si xv^o loqui velis, hoc verum tantum.*
136. *Non de creatore, Deo.*
137. *Hic enim est causa sine causa, & ens absq³ ente Scal. Exerc. 359. Sect. 2.*
138. *Mera namq³ essentia est. Scal. d. Exerc. & Sect. 2.*
139. *E. non PER essentiam est.*
140. *Nec enim esset causa sine causa.*
141. *De creatis rectè: Quicquid est, per essentiam sibi propriam est id, quod est.*
142. *Est enim hoc. Vnde?*
143. *Vel à se vel ab alio.*
144. *Non à se.*
145. *Quia creatum.*
146. *At nullum creatum à se suum habet esse.*
147. *E. ab alio.*
148. *Eoq³ vel extrinseco vel intrinseco.*
149. *Extrinseco: Efficiendo.*
150. *Intrinseco: constituendo, vel etiam informando.*
151. *Et hic invenies essentiam, qua de hîc sermo.*
152. *Et quidem PROPRIAM.*
153. *Alienum enim omne extra rem est.*
154. *At nullum, quod extra rem est, eandem essentialiter constituit.*
155. *E. nec de ejusdem est essentia.*
156. AXIOMA XLVIII. *Quod non est, non augetur. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
157. *Augetur enim subjectum accedente alio.*
158. *Quantitate quidem, si strictim auctorem accipias.*
159. *Est enim augmentum affectus quantitatis primò Scalig. Exerc. 101. Sect. 15.*
160. *Qualitate etiam, si latè.*

161. *Vnde & augmentum anima tribuitur. Scalig. Exerc. 307. Sect. 13.*
162. *Imò & Angelis.*
163. *Augetur enim in eis (spectione DEI intuitiva) similitudo DEI, quod inquit Scalig. Exerc. 359. Sect. 11.*
164. *At quod non est, nec illud ullius subiectum esse potest.*
165. *Et quod non est, ad illud nihil accedere potest.*
166. *E. quod non est, non augetur.*
167. *Sed demum augetur, quod jam est. Scalig. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
168. **AXIOMA XLIX.** *Danda opera ne à verbis vitium obveniat sententiæ. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
169. *A verbis vitium hoc obvenit sententiæ, inquit d. l. suum ad Cardanum Scaliger.*
170. *Sententia verborum pravitate deterior facta est, inquit iterum Scaliger.*
171. *E. Sententia pravitas partim à RE, partim à VERBIS.*
172. *A RE: quando falsum enunciat, seu quando notiones rebus non adequatas, ut loquitur Scalig. Exerc. 2. enunciat.*
173. *A VERBIS: quando distorta sunt illa, & minus apposita.*
174. *Tum enim veritas vel unà distorquetur.*
175. *Vel certè variis velut nebulis involvitur.*
176. *Unde: Minus à nobis verba illa percipiuntur, inquit Scaliger.*
177. *Paucis: Quid intelligam, si tua sit perversa oratio? quaris idem Scaliger Exerc. 88. Sect. 2.*
178. *Nominibus ergò (verbis) utendum neq₃ superstitiosè, neq₃ supinè quod etiam suadet Scalig. d. Exerc. 88. Sect. 2.*
179. *Non superstitiosè: Quia sit modus in rebus.*
180. *Non supinè: Quia verborum negligentia ipsam obruit sapientiam.*
181. *Itaq₃ quod usum concedit vulgò modestiam quod sibi retinet proprietates sapientiam proficitur, quod inquit rectè Scalig. d. Exerc. 78. Sect. 2.*
182. **AXIOMA L.** *Si materia non est in actu, ne forma quidem erit. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
183. *Materia diversimodè consideratur.*

B

184. *Par-*

184. Partim quidem ut est informanda, partim ut informata.
185. UT INFORMANDA: In potestate est.
186. Nec dum enim habet formam, quam habere potest.
187. UT INFORMATA: In actu est, aequè ac forma.
188. Nec enim magis hæc à materia separata, quam materia ab ipsa. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.
189. Sit ratio: Quorum utrumq; conjunctum est, illorum utrumque etiam actu est. ὁδηλον.
190. Aut materia & forma conjuncta sunt.
191. Ergò utraq; horum actu erit.
192. En naturam; Terra quiescit.
193. Materia terra estne potestate mobilis? Certè.
194. Forma verò terra estne potestate movens? Certè.
195. Pono: Terra movetur.
196. Hic certè forma est actu movens.
197. E. materia erit actu.
198. Rectè. Si enim materia non moveretur nisi in potentia, non moveretur, etiam cum moveretur. Absurdum. Scalig. d. Exerc. 5. Sect. 1.
199. AXIOMA LI. Quod non est nisi in potentia, non potest moveri nisi in potentia. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.
200. Certum: Essentia & accidens sibi mutuò correspondent.
201. Essentia hic est in potentia seu futura est.
202. E. non habebit nisi in potentia sua accidentia, seu non habebit presentia sed futura accidentia.
203. Nec mirum: Essentia seu ipsum Ens, est subjectum sui accidentis.
204. E. accidens hoc recipere debet.
205. At quod nondum est in actu, id neq; actu aliquid potest recipere.
206. Motus, inquit Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1. est accidens.
207. At nullum accidens accidit substantia, nisi secundum naturam ejus.
208. E. quicquid in potentia est, id non moveri potest, nisi in potentia.
209. Sed quod in actu est, id actu moveri potest, & simul etiam, pro conditione natura quandoq; potentia.
210. AXIO-

210. AXIOMA LII. Nullum accidens accidit substantiæ, nisi secundum naturam ejus. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.
211. *Omne accidens alicui accidit substantiæ.*
212. *Nec enim datur ullum sanè subjecto.*
213. *Accidens, quod primum, hoc est, solum, nullum datur inquit Scalig. Exerc. 16. Sect. 1.*
214. *Hoc subjectum substantia est.*
215. *Mediatè immediatè prout cujusq₃ fert conditio. Confer Scaligerum Exerc. 75. Sect. 1.*
216. *De modo, quo accidat, dispiciendum est.*
217. *Ille sumetur à natura partim accidentium, partim ipsius substantiæ.*
218. *Accidentium: Aliter accidunt separabilia.*
219. *Facile enim hæc ab hinc abeunt.*
220. *Aliter inseparabilia.*
221. *Hæc enim etsi non faciunt ad essentiam substantiæ.*
222. *Nullum enim accidens facit ad essentiam substantiæ.*
223. *Accidit enim huic.*
224. *At quicquid accidit, non est de rei essentia. Scalig. lib. 2. de caus. lat. ling. c. 48. pag. 109.*
225. *Unde nec est causa entitatis simpliciter, sed talis entitatis, quod inquit Scaliger Exerc. 307. Sect. 27.*
226. *A re tamen abesse nequeunt, cujus propria sunt Scalig. d. Exerc. 5. Sect. 6.*
- * 227. *Substantiæ: Accidit accidens secundum naturam ejus (substantiæ.)*
228. *Qui verò id? Nempe prout capax est illius.*
229. *Nec enim quidvis, quodvis, recipit.*
230. *Nec quævis substantia quævis.*
231. *En: Substantia est vel in potentia vel in actu.*
232. *In potentia: Et sic accidentia accidunt, non nisi in potentia.*
233. *Pono: Doctor es in potentia.*
234. *E. & honorem, qui Doctori debetur, habes in potentia.*
235. *In actu: Et sic accidentia accidunt actu.*
236. *Non tamen omnia, ut dictum.*
237. *Substantia enim quæ est in actu, potest etiam non pauca habere in potentia accidentia.*

238. *Ecce enim: Studiosus; qui jam actu studet, fiet Doctor.*
 239. *E. nondum est.*
 240. *Quod enim fit non est.*
 241. *Et quod est, non fit.*
 242. *At Studiosus ille est actu substantia.*
 243. *Habet enim in actu accidentia.*
 244. *Quia studet, loquitur.*
 245. *At nulla substantia habet in actu sua accidentia, nisi ipsa sit actu.*
 246. *E. quadam substantia, quae est actu, habet in potentia quandoq^{ue} sua accidentia.*
 247. **AXIOMA LIII.** *Nullum Ens in potentia habet in actu sua accidentia. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
 248. *Et hic duo attendas: Tum recipiens tum recipiendum.*
 249. *Recipiens: est Ens in potentia.*
 250. *Et quidem substantia.*
 251. *Recipiendum: est accidens.*
 252. *Jam queritur: Quomodo Ens illud seu substantia in potentia, recipiat suum accidens?*
 253. *Respondet Scaliger: Non actu.*
 254. *E. potentia.*
 255. *Ut & hic iterum mutuus inter substantiam & accidens notandus occurrat responsus ut alibi loquitur Scaliger.*
 256. *Ratio Scaligeri hac: Nondum enim est (Ens seu substantia in potentia) simpliciter.*
 257. *E. ne illa quidem (accidentia.)*
 258. *Sit hinc ἀποδείξις: Quicquid nondum est simpliciter, id neque in actu sua habet accidentia. Ex dicend.*
 259. *Ratio: Quia accidentia substantiis posteriora sunt. Ex dicend.*
 260. *At Ens in potentia, nondum est simpliciter.*
 261. *E. Ens in potentia, non potest habere in actu sua accidentia.*
 262. **AXIOMA LIV.** *Quod nondum est simpliciter, id in actu non habet sua accidentia ex Scaligero d. Exerc. 5. Sect. 1.*
 263. *Benè: Nondum esse simpliciter, est esse potentia.*
 264. *E. Esse actu, est esse simpliciter.*
 265. *E. quod actu est, simpliciter est.*

266. E.

266. E. quod potentia est, nondum est simpliciter.
267. Opponuntur enim hæc: Esse actu, & esse potentia.
268. E. (respectu ejusdem) in idem eodem tempore cadere non possunt.
269. Jam: Quod nondum est simpliciter, id in actu non habet sua accidentia.
270. Est enim in potentia.
271. At nullum Ens in potentia, habet in actu sua accidentia. Ex dict.
272. AXIOMA LV. Accidentia sunt substantiis posteriora. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.
273. Hic de ordine substantiarum & accidentium mutuo.
274. Certum: si de individuo loquaris, sæpè accidentia priora substantiis.
275. Ecce enim: Calor Solis, prior hoc homine, humor aqua prior pane.
276. At si in genere, indubitatum hoc: Omnia accidentia sunt substantiis posteriora.
277. Sunt enim substantia tum efficientia accidentium tum subiecta.
278. EFFICIENTIA: Omne enim accidens fluit à certa substantia. Scalig. Exerc. 10.
279. Et: Accidentis natura in ipsius substantia primordiis est. Scalig. Exerc. 307. Sect. 27.
280. Hinc sit ἀποδείξις: Omne efficiens prius est effecto.
281. At substantia sunt efficientia accidentium.
282. E. substantia sunt priores accidentibus.
283. SUBJECTA: Omne enim accidens est in substantia, tanquam in subiecto.
284. Ubi tu accidens inveneris mobile sine substantia? quæris Scalig. Exerc. 16. Sect. 1.
285. E. inheret.
286. At subiectum est prius eo, quod inheret.
287. Hinc sit ἀποδείξις: Omne subiectum est prius eo, cuius est subiectum.
288. At substantia est subiectum suorum accidentium.
289. E. & substantia prior est suis accidentibus.

290. AXIOMA LVI. Materia non est continua, sed
ejus partes sunt contiguæ. Scal. Exerc. 5. Sect. 1.

291. Differunt, continua & contigua.

292. Continua sunt quorum extrema sunt unum.

293. Contigua sunt, quorum extrema sunt simul.

294. E. illorum non junguntur.

295. Horum verò junguntur.

296. Ita quidem, ut inter illa non detur vacuum.

297. Jam materia non est continua.

298. Nec enim hujus extrema sunt una continuitate. Scalig. d.
Exerc. 5. Sect. 1.

299. Sed ipsa est una unitate essentia sua.

300. Sed est contigua, ac proinde multa secundum partes.

301. Hæ enim ita junguntur, ut nullibi detur vacuum.

302. Vis rationem? En: Si esset unum continuum non esset gene-
ratio, inquit Scalig. d. Exerc.

303. Hinc sit ἀπόδειξις: Ubi est unum continuum, ibi non est ge-
neratio.

304. At in illis, ubi datur materia, est generatio.

305. E. in illis, ubi datur materia, (hæc) non est unum conti-
nuum.

306. Quid ergò? Est unum contiguum.

307. AXIOMA LVII. Ubi est unum continuum, ibi
non est generatio. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.

308. Ratio: Quia non esset agens à patiente sejunctum, inquit
Scalig. d. l.

309. Sit ἀπόδειξις: Ubi est generatio, ibi est agens.

310. At in rebus hisce est generatio.

311. E. & in rebus hisce est agens.

312. Vtteriùs: Vbi est agens, ibi est à patiente sejunctum.

313. At in rebus hisce est agens.

314. E. in rebus hisce est à patiente sejunctum.

315. At non potest esse sejunctum, ubi est unum continuum.

316. Nec enim ibi ulla datur sejunctio.

317. AXIOMA LVIII. Omne agens à patiente sejun-
ctum est. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.

318. Quidni? Agens imprimit actionem patienti.

319. E.

319. E. agit in patiens.
320. E. & ab eodem sejunctum est.
321. Nihil enim agit in seipsum.
322. Sed sejunctum, Essentiâ.
323. Non semper loco.
324. En virtus agit in animam.
325. Hanc enim perpolit, & perfecit.
326. Nam hujus est habitus.
327. At habitus (bonus) ejus, cujus est habitus, perfectio est.
328. At virtus est ab anima sejuncta.
329. Non loco quidem.
330. Nam est in anima.
331. Sed essentiâ.
332. Nec enim virtus est de essentia anima.
333. E. quoddam agens potest esse sejunctum à patiente, ut dictum.
334. AXIOMA LIX. Materia nullum in seipsa motus habet activum principium. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.
335. Duo communiter sunt principia, activum unum, passivum alterum.
336. Activum (prout huic inservit propositio) vocatur forma.
337. Hac enim actus, aptus perficere, inquit Scalig. Exerc. 307. Sect. 29.
338. Passivum vocatur materia.
339. Hac enim potentia est, apta perfici, inquit Scalig. d. Exerc. 307. Sect. 29.
340. Vnde & omnium entium ignavissimum dicitur Scaligero d. Exerc. 5. Sect. 1.
341. Et opponi forma contradictoriè, ut non agens agenti.
342. Ergone nullam planè habet actionem materia?
343. Non hoc velit sanè Scaliger.
344. Forma enim, inquit Exerc. 307. Sect. 27. id agit, ut materia sit hoc aliquid.
345. Materia videtur agere ut forma existat, inquit iterum Scaliger.
346. Non enim esset unum ex principiis, nisi aliquid faceret, inquit iterum Scaliger.
347. Sine ea (materia) forma non potest existere, inquit iterum Scaliger.
348. At:

348. *At: Et ipsum existere, aliquid est, inquit iterum Scaliger.*
449. *Id igitur ipsum quod est existere, prestatur à materia, inquit iterum Scaliger.*
350. *E. ab ipso Scaligero materia quaedam etiam actio tribuitur.*
351. *Qua qualis sit, suo dispicietur loco.*
352. **AXIOMA LX.** *Cuncta sui appetunt conservationem. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
353. *Esse enim melius est, quam non esse.*
354. *At conservatione esse continuatur.*
355. *At cuncta per naturam quod melius est, appetunt.*
356. *E. & sui conservationem appetunt.*
357. *Quin: Omne ens cupit perfici Scalig. Exerc. 11.*
358. *At à conservatione perfectio.*
359. *Perfectio, inquam, quæ naturalis.*
360. *Non quæ moralis. Confer Scaligerum Exerc. 307. Sect. 27.*
361. *Hac enim perfici, omnia non cupiunt.*
362. *Nec homines quidem.*
363. *Quamvis ipsi ad imaginem Dei facti.*
364. *Quæ in hac vel maximè consistebat.*
365. *Imprimis in Dei cognitione atq; amore ex eâ.*
366. *E. conservationem etiam cupiunt omnia.*
367. **AXIOMA LXI.** *Locus non est locati conservatio: Seu: A loco non servantur corpora. Scalig. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
368. *Mirum: Ipse Scaliger alibi docet aliud.*
369. *Sunt etiam principia conservationis, quorum locus tenet principatum, inquit in 1. Theophr. de caus. plan. fol. 22.*
370. *Ergò locus erit locati conservatio ipso etiam Scaligero teste.*
371. *Quid ergò? conservatio non unius est generis.*
372. *Vna internis à principis, altera ab externis.*
373. **Ab INTERNIS:** *Imprimis à formâ.*
374. *Et hoc respectu, à loco non servantur corpora, sed à forma. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
375. **Ab EXTERNIS:** *Et sic quodammodo à loco.*
376. *Nam aëris constitutionem bonam ad corporum non parum facere durationem certum est.*
177. *Quodammodo, tamen inquam.*
378. *Nam interna etiam principia hinc conspirare debent.*

379. *Quor.*

379. *Quot enim corpora extra proprium sita locum non corrumpuntur? inquit Scaliger d. Exerc. 5. Sect. 1.*
380. *Ratio est à conditione ipsorum corporum.*
381. *Ita enim comparata ut proprio & velut insito beneficio durabilia sint, extra locum proprium.*
382. *Et quot (corpora) in suo corrumpuntur loco? inquit iterum Scaliger d. Exerc. 5. Sect. 1.*
383. *Ratio iterum est à conditione istorum corporum.*
384. *Ita enim hec affecta ut interna à divitiis durabilia non sint, etiam in loco proprio.*
385. *Aër enim corrumpitur.*
386. *At aër est in loco proprio.*
387. *Sed tota hac terrarum moles quæ suo dorso tum sustinet tum alit animantium partem maximam, conservatur.*
388. *At hæc est extra suum (proprium) locum. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
389. *Aquâ enim tota cooperiri debebat.*
390. *E quod est extra suum locum nihilominus salvum esse potest.*
391. *Paucis: Forma servat corpus, sed locus proprius ad corporis conservationem est forma coadminister, ut eleganter loquitur Scaliger d. Exerc. 5. Sect. 1.*
392. **AXIOMA LXII.** *Quod habetur, non appetitur ex Scaligero d. Exerc. 5. Sect. 1.*
393. *Omnis enim appetitus ex privatione est.*
394. *Vnde soboles privationis dicitur Scaligero Exerc. 317. Sect. 2.*
395. *Et affectus habendi Exerc. 307. Sect. 4.*
396. *At quod habetur non est privationis aut absentia, sed presentia.*
397. *E. quod habetur, non appetitur.*
398. *Terram vide. Hæc appetit ex loco communi amotionem.*
399. *Cur? Quia appetit conservationem, in loco suo.*
400. *E. in communi illam non habet.*
401. *Appeteret enim quod haberet. Absurdum.*
402. *Nihil enim quod habet, appetit.*
403. **AXIOMA LXIII.** *Primum principium non potuit quicquam efficere, quod sui esset aut simile penitus, aut dissimile. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*

C


404. Pri-


404. *Primum principium (absolute & simpliciter) est solus Deus.*
405. *Hic fecit omnia, qua facta.*
406. *Sed nihil horum simile penitus, nihil dissimile.*
407. *Non simile: Quia quod fit, patitur.*
408. *Quod patitur, a potiore patitur.*
409. *E. respectu hujus omnino DEUS ille potior & superior.*
410. *Non dissimile: Quia actio & agens in ipso (Deo) non differunt.*
411. *E. actum sive factum, aliquo modo simile, alio dissimile fuit necessario.*
412. *En: DEUS est unus.*
413. *Mundus unus, & non unus.*
414. *Deus omnia.*
415. *Mundus omnia, & non omnia.*
416. *Deus aternus.*
417. *Mundus aternus, & non aternus.*
418. *Quia enim unus est, est aternus.*
419. *Non enim habet comparem aut contrarium. Scalig. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
420. *Sed hac aternitas in successione aut perpetuatione consistit.*
421. *Cui finem imponet Deus cum ei visum.*
422. *At: Et mundus non est unus.*
423. *Ex contrariis enim ac mutua corruptione inter se grassantibus partibus constitutus est.*
424. *E. nec aternus.*
425. **AXIOMA LXIV.** *Quod fit, patitur. Scalig. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
426. *Certum: Fieri est, pati.*
427. *Aliud enim agit, ut fiat hoc, quod fit.*
428. *Ejus ergo, quod agit, est actio.*
429. *E. ejus quod fit, erit passio.*
430. *Imò: Quod fit, nondum est.*
431. *Quod nondum est, ut fit producit.*
432. *Produci est pati.*
433. *E. quod fit, patitur.*
434. **AXIOMA LXV.** *Quod patitur a potiore patitur. Scal. d. Exerc. 5. Sect. 1.*
435. *Non*

435. *Non fit passio sine actione.*
436. *Actio enim est agentis in patiens.*
437. *At actio omnis fit à valentiore. Scal. Exerc. 12. Sect. 3.*
438. *Valentius, potius.*
439. *E. quod patitur, à potiore patitur.*
440. *Quin: Agens non est ignobilius patiente.*
441. *At esset: si quod patitur, à minore seu inferiore pateretur.*
442. *Id enim, quod ageret, minus esset patiente. Absurdum.*
443. **AXIOMA LXVI.** *Quod ex contrariis ac mutua corruptione inter se grassantibus partibus constitutum est, nec unum est, nec æternum ex Scaligero d. Exerc. 5. Sect. 1.*
444. *Variarum rerum compositio.*
445. *Una (pro nostro hoc) est ex principiis amicè conspirantibus.*
446. *Et hinc unum unione formæ informantis.*
447. *Ac proinde constantius & durabilius.*
448. *Altera, ex principiis contrariis ac mutua corruptione inter se grassantibus.*
449. *Et hinc, quod unum, multa est.*
450. *E. per accidens unum.*
451. *Per se multa. Confer Scaligerum Exerc. 6. Sect. 2.*
452. *Et sic (proprie loquendo) non est unum.*
453. *E. nec æternum.*
454. *Quamvis aliàs satis constans.*
455. *Tamen tandem ad interitum ruet suum.*
456. *Corpora hominum vide.*
457. *Ex elementis illa (licet sub forma una) constant.*
458. *At illa mutua corruptione inter se grassantur.*
459. *Adjuvantibus etiam externis.*
460. *Et hinc tandem totius dissolutio.*
461. *Quin: Mundus partes habet suas.*
462. *Sed dissimiles.*
463. *Sed contrarias, & mutua corruptione inter se grassantes.*
464. *E. per se, si non quoad totum, certe quoad partes corruptioni obnoxius.*
465. **AXIOMA LXVII.** *Principia inferiora cedunt superioribus ex Scaligero d. Exerc. 5. Sect. 1.*
466. *Veritatem hujus, ut & severitatem demonstrant omnia.*

467. Sed jam ad particularia non descendemus.
468. Mundum vide, Ille duas habet formarum ideas ut loquitur Scaliger d. Exerc. 5. Sect. 1.
469. Una est particularis, sua cuiusque speciei, ad generationem motum, prorogationem in iis, per qua non est unus.
470. Altera est universalis ad conservationem unitatis.
471. Jam: Ignis v. c. ascendit.
472. Ignis etiam descendit.
473. Da causam: A Forma est, inquis.
474. Rectè. At contrarii sunt hi motus.
475. Rectè id quoque. Sed diversa sunt principia, fines.
476. Ne daretur vacuum, DEUS effecit, ut forma particularis, puta ignis, qua ascendit, obediret universali forma, qua unus est mundus.
477. Ita ut etiam deorsum moveretur ab eadem, ne vacuum eveniret.
478. Non enim ab alia forma moveretur ignis sursum, & ab alia deorsum, ne vacuum detur.
479. Sed ab eadem, diverso fine. Scal. d. l.
480. Quot tandem fine? Prior est ob particularem sui conservationem.
481. Posterior & secundarius propter totius conservationem, qua in unione consistit.
482. En: Hic principium unum, forma ignis: Finis ut conserveatur ignis.
483. Alterum: Forma mundi, Finis ut totum conserveatur.
484. Fit ut ignis descendere cogatur, propter fugam vacui.
485. Et quidem contra naturam, particularem.
486. Hac enim ascendit.
487. Sed descendit, jussu natura universalis.
488. Hac enim vacuum non admittit.
489. Daretur autem sepè vacuum si ignis ad occupandum spatium, quod daretur aliàs, non descenderet.
490. Et sic verum: Principia inferiora cedunt superioribus. Sat est.

F I N I S.





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



TUM
ET METAPHY.
M
SARIS
EXER-
EXOTE.

III.

DIO
lentissimi,
AGITTARII
Metaphys. Profess.

et
LERBECIUS,
ARCHICUS.

anuarii.
oris consuetis.
E,
AULIANIS.

41

